

vercor, vt meum ingenium meosque mores feruare videar, nam qui ab omni criminatione abhorreo, post aliquot fraudes explicatas inuidiam quorundam et suspiciones metuo. Quorum causa equidem labenter alia omitto, quae de Mullo dicere possem, praesertim cum minus iam ad causam nostram faciant et Sebastianus Godofredus Starkius aliquam partem, eorum, qui quae ad vitam eius pertinent, scire volent, desiderium explere possit.

Luculentiora mihi videor ex Sinicis monumentis adferre posse, nulla laude, sed felicitate tamen quadam mea. In Annalium enim regni secundo et quadragesimo libro, de rebus gestis Regis <sup>(1)</sup> QVANG VV TI diligentissime agitur, vt quod Cupletus narrauit, paene minus sit, quam illorum compendium. Itaque cum per tempora decurrissent auctores et ad <sup>(2)</sup> zie nien, tschun san yve Septimum annum (eius imperii) tertiam veris lunam siue mensem folio duodecimo peruenissent, interiectis nonnullis, altera eiusdem folii pagina, id quod quaerimus, enarrant his verbis: <sup>(3)</sup> Quei hai hoei gje jeu sche tschi tschun pe leao ko schang fung su ki schang schu tsche pu te jen sching. Quae paulo aliter Hispanus aut Lusitanus scriberet. Equidem cum non modo Galli, sed et Angli et Itali Sinica hodie suo ori applicare scribendo solent, malui siue veteri Romano siue Borussico nostro accommodare, pro meo iure. Modo gje illud scribi Italorum more sciant, qui legent, quoniam nos ista littera caremus. Ita autem interpretor: QVANG VV TI (regnante) septimo anno, vere, tertio mense. Ultimo die a meridie, cui nomen erat quei hai sol passus est eclipsin. Edictum propositum est: Omnium statuum imperii superioribus magistratibus et Regulis officium (incumbit:) Ille qui summus libellarius est, non permittat illos vocari titulo SCHING. Qui de hac eclipsi, siue in Sinis, siue in Europa egerunt, veluti rem confessam et minime obscuram ponunt, Christo in crucem aeto, eclipsin factam et diem uniuerso terrarum orbi